

calogi, & doctrinam de dilectione, quia necesse est in hac uita inchoari obedientiam, iuxta omnia præcepta Moralia, sicut scriptum est, Si uis ingredi in uitam, serua mandata, scilicet, sicut Euangelium docet propter filium nos recipi, & fide inchoari obedientiam, sicut Paulus inquit, Per fidem Lex stabilizatur.

**Iam hora est, nos ex somno  
expergisci.**

**A**DHORTatio est à tempore sumpta propter occasiones, Q. d. Iam immensa bonitate Deus nobis patefecit Euangelium, Gentibus & Iudeis, cum antea in tenebris essetis, & uos uocat. Id summum beneficium agnoscamus, nec tantum munus adspernemur, sed auide amplectamur, & Deo obediamus. Eandem adhortationem proponit Dominus, Quia non omnibus temporibus similiter conspicitur lux Euangelij. Ambulate, inquit Dominus, dum lucem habetis, ne tenebræ uos obruant. Vt in Iudea, sprete uocatione, secutæ sunt maiores tenebræ, & magni furores, confusiones opinionum, & Principum discordiæ, quibus attraxerunt ultimum exitium. Ita fit & alijs temporibus. Et nunc multi abutuntur prætextu libertatis, Et uertunt gratiam Dei in petulantiam, ut Petrus loquitur. Ideo sequuntur dissi-